

infectabimur: ut ipsi nos: quippe quod ut & uicinos & consanguineos & fratres decet: nos cum ipsis gerere instituimus. Credo ego te Narfes: dum iter hac facis audiuisse: Ut Athila rex hunnorum centum ab hinc annis: omnes circum urbes exciderit: Magna pars confugerit ad obiecta urbibus loca. Idem fecere fratres nostri: concessere huc. Ea uero tempestate istorum qui nunc loquuntur patres: diuersas per orbis partes: ut cuique libuit emigrare praesertim quibus pecuniae adessent ad peregrinationem. Pars ad instaurandas ruinas: ubi uitam degeret reuersi sunt. Quid profecerint: illud est testimonio Mansere sine ullo munimento sexaginta per annos: quod nisi Theodoricus Gotthorum rex quem uere conditorem suum possunt appellare: licet nunc Gotthorum nomen infestum sibi fingunt Vallo & fossa permunisset hodie ne isti quidem qui loquuntur patauium suum incolerent: Nunc theodoricus beneficio uenere. Sed obsecro fratres (fratres. n. sumus ex iisdem progeniti maioribus) cur non quum theodoricus urbem uestram instaurabat estuaria ista nobis abstulit uobis concessit? Puduistis uestros maiores uerbum facere ne dum postulare: Quum meminissent patres suos alias sibi sedes de legisse: Nostros ex conuento remansisse: Paludem strauisse: sedes hic posuisse. Haec autem loca quia summi dei clementia coaluerunt in hanc quam cernis frequentiam: omnibus innocuam: nobis laboriosam: inuitus dico: uix perpeti possunt. Implent questibus omnia: Quasi nos urbem eorum exciderimus societatem dedignati nostram: quum habitare nobiscum amice prouocarentur: & seorsum mallent: Nunc demum queruntur nostra inquit occupatis. Enim uero cur uestra dicatis. Quae & deseruistis: & nobis incolenda reliquistis: non uideo: nempe ab initio gentes: quae loca inueniebant uacua colonis possessoribusque: ea capiebant incolebantque optimo gentium & naturae iure. Sic a nobis factum. Deseruistis ea: nobisque permisistis: deserta cepimus & a uobis relicta. Quae igitur a nobis iniuria: Placuit ex uobis pluribus deligere sedes alias: aliquibus ad illas ruinas redire. Accessistis nos ponere hic sedes maluimus. Confedimus hic. In diuersum itum ab utrisque cur nunc mutato consilio in nostra uultis irrumperere: nos de uestris turbamus quicquid? Nisi forte equum censetis in illis ruinis & lapidibus imperium restitisse. Et quod patauius iuris quondam fuit in his paludibus: eo deleto etiam integrum permansisse. Quis dicat hoc? Ut excisa ciuitate: deletis magistratibus: extincto in ea urbe diuino omni & humano iure: persistit tamen in solo illo ruinis obruto: publici quicquid dominii: aut iurisdictionis? Sed ubi nam ius fasque? Imperium & iurisdictionis: nisi in cetero conuentuque hominum iura inter se pactaque & leges statuentium: Si in solo hoc illo uel esset iurisdictionis: sane ab aeterno duceretur: nec mutaretur unquam. Siquidem solum immobile ac sempiternum: nunc fortunae subiecta omnia sunt: mutantur indies imperia ac transferuntur. Ludit hunc ludum fortuna: cui parere ne-